

133 *Fals. M.* qui est Octavianus. naz. Rom. ex p. Alberico. a. 8. m. 4. Iste denique infelix quod
sibi penitus totam vitam suam in vanitate et in adulterio dedit. Cuius temporibus Otto imperator
Romam veniens honorifice ab eo est susceptus. Cum quo ipse predictus imperator multum decertavit.
sed ab errore et nequitia sua nunquam potuit eum removere. Consilio namque ipse imperator cum
suis fidelibus invito iterum Romam venit. quatenus idem protervus et sceleratus pontifex cum
suis archiepiscopis atque episcopis recordaretur. ut a tali ac tanto scelere resipisceret. Sed ipse iniquus sta-
tim. ut de suo adventu audivit. Campaniam fugiens. ibi in silvis et in montibus more bestiae
latuit. Tunc omnes Romani uno consensu et una voluntate clerici atque laici rogaverunt do-
minum imperatorem. ut s. matri ecclesiae dignum pontificem et primum rectorem tribueret. Facta
itaque supplicatione et petitione. universi populi a domino imperatore acceperunt responsum. Egitis qui
dignus sit. et ego libentissime cum vobis concedo. Statimque cuncti tam clerici quam laici ele-
gerunt dominum Leonem^{VIII.} virum venerabilem protocrisnarium summe sedis aplice. i. ex patre
Iohanne protocrisnario natum Rome de regione que vocatur clivus argentarii. vir stren-
uus et omni honestate preclarus. Et consecraverunt eum per mensem Decembrium Ro-
manum pontificem in Lateranensi patriarchio. Hic fecit ordinationes eodem mense. presb-
teros 7. diaconos 2. Hic sedit annum 1 et m 3 et cessavit episcopus eius. Ipse denique vivente
iniquum consilium a Romanis expertum est. quemadmodum dominum Leonem foras eicerent.
et sceleratum illum qui in Campanie partibus latitabat reducerent. Quod et factum
est. unde maxima fames et ingens persecutio in civitate Romana evenit. Quia Dei opi-
tulante clementia predictus dominus sanus et illesus a civitate exiit. et ubi imperator cum
suo exercitu in partes Spoletorum erat advenit. Qui honorifice ab eo susceptus est. statim-